



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Discursus I. Neapolitana ædificii, seu altius tollendi. De servitute altius non  
tollendi ædificia, ex quibus tollatur aspectus maris juxta Constitutionem  
Zenonis Imperatoris. De Constitutionibus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

DE  
SERVITUTIBUS  
PRAE DIA LIBUS.

DISCVRSVS PRIMVS  
NEAPOLITANA ÆDIFICII,

Scù altius non tollendi,

PRO

CONVENTU S. SPIRITUS ORDINIS S. DOMINICI

CUM

PP. CAMALDULENSIBUS.

*Casus decisus per Rotam pro Conventu S. Spiritus.*

De servitute altius non tollendi ædificia, ex quibus tollatur aspectus maris ad Constitutionem Zenonis Imperatoris.

De Constitutionibus græcis non contentis in antiquis Codicibus, sed de novo traductis & insertis in Codicibus modernis, An habeant vim legum, præser-  
tim de dicta Constitutione Zenonis.

De inventione & usu legum civilium Romanorum juxta compilationem Iusti-  
niani, Et aliqua de non usu, quando tollat vim legum.

Et de privilegio Religiosorum circè prohibendum aspectum vel introspectum  
in eorum Monasteria vel Conventus.

S U M M A R I U M

D I S C . I.

1. Acti series.
2. Culibet licet ædificare in suo, & extollere, quamvis vicino prejudicium inferatur.
3. Fallit ubi vicino tollatur aspectus maris ex Constitu-  
tione Zenonis Imperatoris.
4. Quod Constitutio Zenonis Imperatoris non sit au-  
thentica.
5. An dictæ Constitutioni identitas probetur ex gemina-  
ta approbativa enunciatione, que habetur in cor-  
pore juris.
6. Quod generaliter græce Constitutiones non existen-  
tes in antiquis Codicibus, sed inserta in modernis  
non esse autem vira legi.
7. De ratione, ob quam dictæ Constitutiones habenda  
non sunt pro lege.
8. An dicta Constitutio Zenonis sit localis pro sola Vrbe  
Constantinopoli.
9. De materia non usus legum, & de differentia inter  
non usum seu non acceptationem, & usum abro-  
gativum.
10. Inter alia legis requisita est illud, ut à populis sit  
usu recepta.
11. De legum civilium compilatione inventione, & usu.
12. Rex Neapolis non recognoscit Imperatorem.
13. In dicto Regno prius vivebatur iure Langobardorum,  
hodie autem vivitur iure Romanorum.
14. De coniunctudine Neapolitana superfacultate adificandi.
15. Constitutio Zenonis cessat ex contraria conventione.
16. Concessionarius non potest adificium concessum altius  
tollerare in prejudicium concedentis.
17. Leges laicales an obligent Ecclesiæ & Ecclesiasticos.
18. Quid in hac materia operetur favor Religionis, &  
ratio impediendi scandala & aspectum secularium.

Cardin, de Luca de Servitutibus.

**C**onceperunt usque ab anno 1539 Patres Con-  
ventus sancti Spiritus Neapolis Ordinis Præ-  
dictorum cuidam Michaëli de Cola quan-  
dam terreni partem prædicti Monasterii viridario  
contigam cum domo ibidem existente, sub ea le-  
ge, ut nec ipſi, nec ejus hæredes in dicto terreno  
concessio facere valeant adificia respiciant, scù à  
quibus haberi possit aspectus ad reliquum Mona-  
sterii territorium, nec facere aperturas nisi ad lumen  
ingrediendum.

Cum autem, vel ex dictorum PP. permissione,  
vel ex negligentia, in dicto terreno træctu temporis  
constructa essent aliqua domus ad laicorum usum,  
& habitationem, dictique PP. pro eorum dormitorio  
ampliando, tollendoque introspectu, quem in  
eorum dormitorii & cellis ex dictis domibus pa-  
tiuntur, quodam adificium construere vellent, se  
opposuerunt PP. Camaldulenses dictarum *domum*  
possessores, à dicto primo concessionario causam  
habentes, prætendendo adificium impedire, ex eo  
quod per illud dictis domibus tolleretur aspectus  
maris contra dispositionem Constitutionis Zeno-  
nis Imperatoris in modernis Codicibus registratae  
in l. penult. Cod. de adif. privat. qua Constitutio ha-  
betur etiam impresa apud Fenzon, ad Statut. Vrbis  
104. & apud Rubeum tom 1. singular. fol. 112 qua ta-  
men oppositione non obstante, Nuntius Apostolicus  
sententiam tulit adificare volentibus favorabili-  
lem, quam in secunda instantia Auditor Camera in-  
firmavit; Sed introducta per appellationem causa  
in Rota coram Celso, sub die 28. Aprilis 1652. pro-  
diit resolutio dictis PP. adificare volentibus favo-  
rabilis, ut scilicet ad limites sententiae latæ in prima  
instan-

A

instan-

## DE SERVIT. PRÆDIALIB. DISC. II.

**2** instantia licitum sit adficare, *decis. 375. Celsi*, & in hoc statu causa reperitur adhuc pendens.

In disputationibus autem desuper habitis tam coram A.C. quam in Rota, scribentes pro oppositoribus novum opus nunciantibus, non negabant satis notam receptamque regulam adficare volenti assidentem, & ex parte adficare violentum deducant, ut (cessante servitute legitimè quæsita vel prescripta, cessanteque simulatione, quarum neutra in dubio præsumitur) cuique licitum sit adficare in suo, siuque adficium extollere ad sydera, quamvis exinde vicino præjudicium inferatur, quoties id principaliter agit, ut sibi proficiat, cum attendatur id, quod principaliter agitur ad commodum facientis, non autem præjudicium, quod alteri accessoriè seu consecutive generatur *ad text. in l. altius Cod. de servit & aqua*, per quem ibidem & alibi ita firmant communiter scribentes, de quibus in specie consimilis questionis habita in eadem Civitate super adficium tollente aspectum marii *Capyc. Larr. decis. 50.* & in terminis alterius questionis habita inter duos Conventus Religiosorum, quorum unus altius adficia extollere volebat, plenè *Rota in Gerunden altius non tollendi decis. 587., 596., 599., & 611. par. i recent.*; Multò magis dum ultrà juris communis dispositionem, in dicta Civitate adest particularis consuetudo in scriptis redacta, quæ incipit: *si quis habet parietem, sub titulo de Servitutibus*, per quam disponitur, ut relicto congruo spatio, cuique licet adficari in suo, non curato vicini præjudicio.

Insistebant autem in limitatione deducta ex Constitutione Zenonis Imperatoris ad litteram id prohibente, quoties ex hujusmodi adficio tollatur seu alias impeditiar delictus apectus marii, de qua Constitutione approbativa mentio habetur in *l. fin. Cod. de adif. privati*. & in *novella 63. Justiniani registrata in §. unico auth. de novi oper. nunciat. maritimi aspectus*; Illamque locum habere debere specialiter in dicta Civitate Neapolis, non obstante contrario usu utpote non bene justificato, firmari asserabant per decisionem illius S. Confili *apud Capyc. Larr. d. dec. 50.* & per alteram decisionem illius Regiae Camerae *apud Garaverry. dec. 10.* reasumendo eadem fundamenta, quæ in allegatis decisionibus habentur deducta.

Scribens in contrarium pro adficare volentibus, cum sensu etiam veritatis, dicebam injustam maleque fundatam esse hujusmodi oppositionem, etiam generaliter & in abstracto, clarus autem in concreto, & in hac facti specie ob particulares ejus circumstantias; Ad quod probandum tres constitueram inspectiones. Unam super minus probanti fide ac apocrypha qualitate dictæ Zenoniana Constitutionis per *Antonium Contium* aliquosque modernos traductores in lucem edita. Alteram, quod ubi etiam ejus identitas bene probata esset, adhuc tamen, vel quia in antiquis Codicibus juxta compilationem Justiniani non reperitur registrata, vel ex contrario usu aliquisque fundamentis vim legis non habeat; Et tertiam, quod in omnem eventum, ubi etiam generaliter & indefinitè vim legis haberet, adhuc tamen in hac facti specie ob ejus particulares circumstantias attendenda non esset, eaque non obstante firma remanere deberet regula, quæ adficiant assistit.

Quatenus autem pertinet ad primam inspectionem non bene probate identitatis dictæ Constitutionis, quodque illa prout in modernis Codicibus, seu apud *Rubeum*, *Fenzonium*, & alios registrata reperitur, non sit authentica, satis evidenter

probari dicebam ex varietate traductionum in pluribus editionibus, in quibus diversum initium seu thema habet ab eo, quod suo marte dedit *Antonium Contium*, qui ejus privata auctoritate illam inter leges Codicis juxta modernas impressiones inseruit, ut ipsemet expresse facetur in admonitione ad lectorum *impress. apud Fenzon.* & *Rubeum* locis initio allegatis.

Item cum Imperium Orientis ab annis 700. & ultra sub *santo Leone* divisum fuerit à nostro Imperio Occidentis, ita ut ab eo tempore hæc regio Occidentalis nullam connexionem habuerit cum dicto antiquo Imperio, & quod magis est ab annis 900. & ultra post expugnationem Civitatis Constantinopolitanae dictum Imperium occupatum sit per Turcas, legum ac litterarum infensissimos, ita ut antiqui Römani Imperii Orientalis in his partibus Occidentalibus reliquæ prorsus evanescerint, non videtur quale sit illud Imperiale registrum, vel authenticum Archivum, à quo *Contium* aliquæ hujusmodi moderni traductores istam & alias Constitutiones defumperint.

Adversus hæc replicabatur in contrarium, dictæ Constitutionis veritatem comprobata remanere ex approbativa geminata mentione de illa habita per *Justinianum dicta novella 63. & in l. fin. Cod. de adif. privati*. sed responsio non concludit, quoniam vis non est in eo an per Zenonem edita fuerit nec ne Constitutione in materia servitutum & maritimi aspectus, sed est, an ista sic moderno tempore edita, sit eadem, de qua Justinianus loquitur, ut in *proposito* habemus de testamento nuncupativo nuncupatione implicita, per relationem scilicet ad Schedulam existentem penes tertium vel incerto loco juxta formam originatedam à *Bari*, in *l. sita scripto ff. de condit. & demonstr.* quoniam difficultas non est in veritate Schedulae in genere, sed est in identitate illius specialis, quæ exhibetur, an illa sit eadem &c. ut in sua materia *sub tit. de testam.* Et habemus etiam de pluribus chronicis antiquis, praesertim vero de illa *Lucii Dextri in Cesaraustrana Cathedralina sub tit. de præminentia*, *disc. 3.* non dubitatur enim illum fuisse antiquum scriptorium auctorem chronicæ, de qua mentionem faciunt *S. Hieronymus & ceteri*, sed punctus est, an illa chronica, quæ moderno tempore traducta & luci edita fuit, sit eadem non alterata, vel potius sub eo nomine confusa, seu alterata, cum timilibus.

Quando autem identitas predicta admittenda esset, adhuc tamen, aggrediendo secundam inspectionem; Dicebam Constitutionem prædictam nullam vim legis habere, eo modo quo generaliter de illis græcis Constitutionibus non existentibus in antiquis Codicibus, sed moderno tempore traductis & intertis firmant *Mastrill. dec. 132. num. 33. & sequen. Castill. dec. 59 num. 56. & seq. Thes. jun. in addit. ad decis. 182. lit. A in fine & in specie istius Constitutionis Adden. ad Capyc. Larr. dicta dec. 50 num. 15. & sequen.* cum enim non haberi testantur glos. Argel. & ceteri in *dicta l. finali Cod. de adif. privati*.

Merito autem de dictis Constitutionibus noviter traductis & editis ita dicendum est, atque grammaticalis potius quam legalis eruditio effectus censendus est iste *Contium* & aliorum modernorum hujusmodi Græcas Constitutiones & Novellas per Justinianum in Codicis compilatione neglectas, sive in parte refecatas, minè privata auctoritate in eodem Codice inserere; Siquidem ipsemet Justinianus in ejusdem Codicis ultima compilatione, ejusque primis tribus ejus titulis, scilicet

Silicet de novo Codice faciendo, de Iustiniano Codice confirmando, & de emendatione Codici expressè profitetur multas Constitutiones & novellas suorum Prædecessorum, ac etiam proprias in toto vel in parte rescasce, ac pro revocatis & neglectis habuisse; Igitur eroncum fuit hujusmodi Constitutiones tunc bene cognitas, sed neglectas & rescasas, nunc tanquam leges observandas privata auctoritate edere & in Codice inserere; Si enim aliquis Pontifex rejecat multis Constitutionibus abrogatis vel non existentibus in usu, novum Bularium compilari mandaret solum attendendum utique vanum est, quod tractu temporis privatus homo antiquas Constitutiones jam neglectas & rescasas, eidem Bulario tanquam leges addere vellet.

Quod si generaliter procedit in omnibus hujusmodi Constitutionibus ita moderno tempore traductis & editis; Clarius dicendum est de ista, ex cuius tenore ad litteram constat eam esse localem, ut potè editam pro sola Urbe Constantinopolitana, Et licet Iustinianus in dicta l. finali Cod. de adi. p. v. illam extenderit ad omnes Civitates & Provincias Imperio subjectas, nihilominus ejusdem extensionis tenor ostendit ita gestum esse in ea parte, in qua disponitur de servitutibus ut potè de materia omnibus Civitatibus & locis inhabitatis congrua & communi, non autem circa maritimum aspectum, qui peculiaris est Civitatis & locorum existentium ad oras maritimas, atque potius delitiae privilegium, quam servitutem continere dicitur, ut advertit Gothisred. in ead. l. finali verbo ubique terrarum.

Atque evidenter probatur ex duplice clara demonstratione; Prima scilicet, quod de tempore quo emanavit dicta lex extensiva, jam emanaverat altera ejusdem Justiniani Constitutio contenta in dicta Novella 63. seu in auth. de novi operis enunciat. maritimis aspectus, cum ex communis desumptu ex prioribus tribus libris Codicis, certum sit leges Iustiniani contentas in Codice esse omnium novissimas, ac posteriores novellis, que in authentico continentur, unde si Justiniani intentio fuisset in d. l. finali, etiam de maritimo aspectu loqui, utique de sua etiam Constitutione predicta mentionem fecisset, ut ejus perpetua confuctudo est; Et altera, quia profiterit extensionem predictam facere ad tollendas contrarietates cum legibus antiquis, quarum plurimas habemus loquentes de servitutibus & adificandi facultate, nullam verò agentem de hoc maritimo aspectu; Accedente quoque vivaratione desumpta ex qualitate situs dicta Urbis Constantinopolitanae, ubi congrue adificari potest salvo aspectu predicto, sed hic adificandi modus impracticabilis est in aliis Civitatibus maritimis, que ut plurimum in planicie constituta sunt, unde esset absurdum à totius pœnè Orbis usu & praxi reprobatum.

Accedit communis contraria observantia, circa quam nullus ponderis videntur deducta apud Cap. Latr. dicta dec. 50 & in quibus inscribant scribentes pro altera parte, negantes legitimam probationem non usus ita praescripti, quod abroganda legis vim haberet juxta generales regulas & propositiones ab eod. Capo. Latr. deductas; In hoc enim proceduum videtur cum aquivo, quoniam aliud est agere de non usu initiativo, id est, quod lex nunquam fuerit usu recepta & observata, aliud vero de non usu destruktivo legis jam recepta; Primus enim terminus se opponit principio legis, ac operatur, ut illa nunquam talis dici potuerit, dum inter alia legis requisita illud est præcipuum, quod Cardin. de Luca de Servitutibus.

per populos acceptata usque recepta sit ad text. in l. de quibus ff. de legibus cap. in istu §. leges 4, distincta. Abb. & Felin in cap. 1, de tregua & pace, & ceteri apud Fabrin. infra fragment. verb. lex num. 1, cum sequen. Rouit super pragm. 10. de extract. num. 1. Alter vero terminus tollit per quamdam contrariam præscriptionem legem jam perfectam, & alias receptam, unde propter ea talis non usus exigit requirita ponderata apud Capo. Latr. ubi supra, sed fallacia est in applicatione, dum versari dicimus potius in prima specie quam in secunda, unde propter ea non usus tali justificatione non indiget, dum non allegatur tanquam præscriptivus seu abrogativus legis clara & recepta, sed tanquam impeditus, ne illa dici possit lex, vel tanquam interpretativus, quod esset localis pro sola Urbe Constantinopolitana, quodque dicta Iustiniane extensio de servitutibus communibus intelligenda esset, non autem de isto deliciae privilegio ut supra; Magna enim differentia est inter observantiam præscriptivam ac interpretativam, illa enim exigit omnia præscriptionis requisita, ista verò secus, juxta distinctionem, de qua per Barbos. in l. post dictem num. 47. cum sequen. ff. solus maritim. dec. 319. & 351. par. 6. rec. & passim.

Præterea quoad hunc non usum, altius legalem historiam reatuendo advertebam, quod licet de mandato Justiniani Imperatoris per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum circa annos Domini 529. ad 536 legum civilium compilatio prodierit, ut constat ex Oloandri temporanea digestione impressa post Cod. & ex aliis diligenter reatemptis per Harprec. in preem. Instit. ex numer. 4. ad 20; Nihilominus de eo tempore ob Gothorum & Vandalorum incursiones, fatis modica erat Imperatoris potestas in Italia alisque provinciis adjacentibus, illaque modica, quam ex Narfetis & Belisarii ejus Ducum opera habuit, circa ejusdem Iustiniani finem cessavit ob novam incursionem Longobardorum, qui Italia longam dominationem obtinuerunt; Unde propter dicta leges ita compilatae, licet ad has partes traductæ, attamen vel nunquam recepta fuerunt, vel ob diversas dominationes abolite, ita ut per septem circiter secula præsertim in Italia, illarum notitia vel observantia desierit, populi autem vixerint, vel cum legibus Longobardorum, vel cum iuribus municipalibus singulorum locorum usque ad annum 1130. sive aliam opinionem 1148 quando per Classem Pisaniorum casualleri istarum legum corpus inventum fuit in excidio Amalphitanæ Civitatis, ad quam incertum est an illud introductum esset de temporibus Justiniani, vel potius evectum moderniori tempore per Amalphitanos mercatores, illas Orientales partes nimis frequentes, ut liquet ex Baron. Tarcagnot. aliisque Chronistis & ex nostris Borell. de prefiant. Reg. Catholici cap. 78. à num. 26. ad finem & Valent. Forster. in Histor. Jur. Civil. lib. 3, inter tract. magn. tom. 1. fol. 34. columnæ 1. de loco tamen inventionis mentionem non faciens.

Qua inventione sequuta, cum ex opera Irnerij aliorumque illius facili eruditorum, leges prædictæ, cum aliqua emendatione, vel suppletione in partibus per tincas corrisis editæ essent, populi aliniis Longobardorum, vel ineptis municipalibus legibus vivere affluti, videntes istas adeò rationabiles, & bene ordinatas, paulatim eas usi recipere coeperunt, ita ut non ex auctoritate Iustiniani Imperatoris, ut aliqui legulci credunt, sed ex dicto moderno voluntario populorum usu dictas leges

## DE SERVIT. PRÆDIALIB. DISC. II.

hodie habemus, & ex quibus ad Hispanias quoque exemplis transmissis, *Ferdinandus* nuncupatus *Santos*, & *Alphonsus* ejus filius; cognomento *Sapiens* Reges Hispaniarum leges partitarum composuerunt.

Hinc proinde resultat, quod usus prædictus restrihendus est ad illas leges, quæ tunc reperte fuerunt, & juxta antiquas Digestorum & Codicis editiones, potissimum dum etiam plures leges in eisdem antiquis Codicibus existentes videmus de facto usi non receptas, ergo tota vis est in usu.

Et quamvis plerique velint, præsertim Forsterius ubi supra post editionem prædictam prodisse ceditum Lotharii Imperatoris super earundem legum observantia; Attamen quicquid sit de ejus veritate, trahi non posset nisi eas leges tunc repertas, de quibus ipse sentit, & de quibus etiam intelligendum venit. Decretum Pontificium in cap. 1. de nov. oper. maniat. cum concord. per glof. ibidem, cum animus trahi non possit ad ignorata & tunc non extantia.

Clarius vero in dicta Civitate & Regno Neapolitano, quod tunc Sicilia, deinde post divisionem Insulae dictum est Regnum Apuliae, ubi dictum Lotharii Edictum nullum vim habuit, cum receptum sit illius Regni Regem in nihilo recognoscere

**I. 2** Imperatorem, ut bene probat Borelli. d. tractat. de praeflat. Reg. Catholic. cap. 47, numer. 13, cum sequent.; Dictarunque legum usus generalis est fatus modernus, cum ante duo ultima secula, & apud antiquos Regnicas recepta esset propositio, quod bi generaliter vivetur jure Longobardorum potius quam

**I. 3** jure communi Romanorum, nisi specialis usus istarum legum in loco probaretur; Apud modernos vero, & à modernis temporibus prodit contraria propositio, ut scilicet generaliter vivi præsumuntur jure Romanorum, nisi probetur specialiter in loco vivi illo Longobardorum, ut constat ex deducitur per Minadoum conf. 1. num. 27, & conf. 12, num. 15, & in Constitutione in aliis in princip. num. 59, Fab. de Ann. conf. 28, num. 11, & sequent. Galeott. lib. 4, contro. 1, & 12, Capyc. Latr. confutat. 3. Annibin. de prevent. cap. 1, quaest. 3, ex num. 86, & aliis.

Fortius autem ac indubitanter in ipsam Civitate Neapolis ob dictam ejus particularem confuetudinem in scriptis redactam, per quam absque hujusmodi restrictione indefinite conceditur facultas altius extollendi propria auctoritate, reliquo solum congruo spatio, & tamen vix in ista Civitate hujusmodi facultas absque isto prejudicio impediendi aspectum maris est practicabilis; Hinc proinde constitutam dilemmam; Aut detempore hujus introductam consuetudinis habebatur notitia dicta Constitutionis, quæ vim legis haberet, aut non; Primo casu consuetudo eam abrogavit; Et secundo non potestista Constitutionis, quæ figuram facere dicitur novæ legis nunc in campum excentis, tollere contrariam consuetudinem jam legitimè introductam, absque ejus speciali mentione; Verius autem est hanc esse novam legem, cuius initium ex non usu impeditatur potius quam ex contrario usu præscriptivo tollatur.

Unde propteræ non levem admirationem mihi tribuebat, quod ita leviter, & cum solis regulis generalibus super legum non usu procederetur in casu disputato in Sac. Consilio, de quo Capyc. Latr. dicta dec. 50. cum tunc in ea Civitate Scholaris scirem illius disputacionem ob novitatem fuisse celebrissimam, ita omnium ferè illius temporis Advocatorum & Curialium ingenii exercuerit; Decisionem autem prædictam, prout & alteram apud Ganaveri.

dec. 10. ex motivo potius æmulationis aliisque particularibus facti circumstantia prodiisse testantur adden. ad Capyc. Latr. ead. dec. 50. qui econversò plures referunt contrarias determinationes.

Ceterum quando super his ita generaliter & abstractè sumptis aliqua caderet difficultas; Illam (assumendo tertiam inspectionem) penitus cessare dicemus in hac facta specie ex ejus individuis circumstantiis; Primum scilicet, quia in eadem Zenoniana Constitutione expresse disponitur secundum dicendum,

est, ubi lex particularis conventionis obstaret, & hic erat casus, dum juxta facta seriem, in conceptione ista lex adjecta erat, ne in situ concessio ita adificari posset, quod ita concedenti servitutem vel præjudicium cauferet, quod etiam de jure subintelligitur, ut bene Castr. conf. 48 lib. 3, ubi quod facta concessione alicuius titus vel domus depressioris propè domum concedent, non potest concessionarius altius elevandi facultatem alias de jure generaliter competentem in concedentis præjudicium cum nota ingratitudinis exercere, cum concessio facta censeatur rebus in eo statu permanere debentibus, ac sub tali servitute ita implicitè per concedentem constituta, sequuntur Cyriac. contr. 28, n. 11, & seq. Andreol. in add. ad Cepoll. post contr. p. 3, vers. de serv. ne luminibus & habetur disc. seq. Unde patientibus ipsis Religiosis, quod concessionarius in situ concessio adificari præter sibi attributam facultatem, id operari quidem potuit tacitam dispensationem, ob quam prætendit non posset demolitio adificii facti contra legem concessionis, non autem, ut exinde refutaret passiva servitrus in impedientis elevationem in proprio.

Secundò quia ubi etiam dicta Zenoniana Constitutione recipienda esset tanquam lex Imperialis ubique servanda, adhuc tamen cum sit lex latiflata, ex defectu potestatis non afficit Ecclesiastis, & loca ecclesiastica, ne suam naturalem libertatem in proprio exercere possint ad text. in aub. cassa, & irma Cod. de sacrosanct. Eccles., & per Canonistas in cap. Ecclesia S. Mariae de Constitutionibus; Licet enim per Sacros Canones in cap. 1, de nov. oper. nunc, & alibi disponatur, ut cessante canonum repugnantia leges civiles attendi debeant, unde prodit, quod iste in foro etiam ecclesiastico attenduntur, atque sunt etiam ecclesiasticorum obligatoria; Nihilominus ut supra dictum est, dicta canonica dispositio trahi non potest ad istam legem tunc Papæ ignotam, atque adhuc luci non proditam.

Tertiò clarius, quia non agebatur de simplici adificio, pro quo ad dictam legem evitandam allegaretur sola exemptione ratione jurisdictionis, sed agebatur de illo construendo pro justa, immo necessaria causa tollendi activum & passivum aspectum seu introspectum in claustra & cellas Religiosorum; Si enim pro Monasteriis & priis locis construendis, ampliandis, vel alias ad meliorem religiosam formam redigendis, licitum est contra juris generalis dispositionem cogere Dominum invitum ad rei sua venditionem ad nat. in l. si quis sepulchrum ff. de relig. & sumpt. funer., ut sapius hoc eodem tit. ad materiam retractus deducendum habetur; Multò magis istis Religiosis concedendum esse dicebam, ut remoto dicto accidentalim impedimento limitativo regula generalis, licitum esse deberet adficari in suo; Cum legis, rationis, honestatis, ac religionis principiis adversari videatur, ut pro concedendo laicis delitias habendi aspectum maris, impediri debent; Religiosi claustrales, ne scandalis confundant, atque laicorum aspectum seu introspectum activum & passivum non tollant.

Pon-

## DE SERVIT. PRÆDIALIB. DISC. II.

Ponderabam demum controversum esse inter DD., an privilegium de jure competens Monasteriis Monialium cogendi vicinos ad claudendas fenestras, seu alias elevandi vel demolendi propria ædificia, & de quo hoc eodem titulo pluries, competat etiam Monasteriis & domibus Religiosis Virorum, & affirmativam verorem latè probat Rot. dec. 92, num. 7, & per rot. ubi satis probabilia expenduntur fundamenta, quoties prefertim agitur de domibus conductitius inhabitari solitis à populo minuto, & mulieribus, ex quibus de facili scandalum resultare potest, quod admitti etiam videtur per Rot. apud Buratt. dec. 631, num. 22. Unde quidquid sit de hoc, quoties ageretur de puncto exorbitanti & correctorio generalis dispositionis juris, cogendi scilicet Dominum ad claudendas proprias fenestras seu aliud præjudicium patiendi in suo, attamen istud motivum videtur irrefragabile ad hunc effectum faciendi cessare dictam limitationem, atque concedendi ipsis met Religiosis, ut in suo ædificare possint, atque ita scandalosam servitutem evitare, ita ut omnibus præmissis insimul ponderatis casus remanere videatur omnino planus, ideoque reflectendo etiam ad solam veritatem, dicta iusolutio Rotæ justa benèque fundata visa est.

8. De spatio relinquendo inter unum ædificium & alterum juxta Constitutionem Zenonis.
9. De regula I altius, ut quilibet ædificare possit in suo.
10. Et non attenditur lapsus temporis in materia facultativa.
11. Servitus probari potest etiam per presumptiones & adminicula.
12. Materia conjecturalis quomodo regulanda sit.
13. Resolutio cause.
14. Ponderantur conjectura & adminicula ad probationem servitutis.
15. Solent confitentes conspicuas domus curare, ut aliae domus adjacentes non possint elevare.
16. Non licet in proprio confitgere in præjudicium ejus qui concepsit solum.
17. Quid in hoc disponat statutum Januæ.
18. De statuto Mediolani in hac materia presumenda servitutem.
19. Leges vel consuetudines uniuersitatis vel Civitatis attendi debent, pro interpretatione, seu etiam in casibus non decisis in jure.
20. An volens confitgere palatum, seu nobile ædificium possit de jure cogere vicinum ad sibi vendendam aream, vel dominum.

## D I S C. II.

### I A N U E N.

Altius non tollendi, seu ne lumini bus officiatur.

P R O

MARCHIONISSA HIERONYMA  
DE AURIA SPINULA

C V M

LAZARO MARIA DE AURIA.

Casus disputatus coram Delegatis à Senatu Januen. & decisus pro Marchionissa.

An & quando vicinus prohibere possit vicino ædificare in proprio solo, suamque domum altius extollere, ne ejus domus lumini bus officiatur, vel impediatur aspectus.

S V M M A R I V M.

1. **F** Alii series.
2. De facultate altius elevandi propriam domum atque ita obscurandi fenestras domus eminentioris existentes in muro laterali,
3. De usu muri communis vel divisorii arearum, quando licet illum elevere ac desuper ædificare.
4. Quomodo procedendum sit circa doctrinas seu auctoritates in judicando & consulendo.
5. De altius elevando dominum propriam è conspectu alterius domus via publica & intermedia.
6. De ædificio quod praividet aspectui maris remissive.
7. De ædificio faciendo in propria area seu vacuo præjudicante ædificio adjacenti in lumini bus seu aliis. Cardin. de Luca de servitutibus.

**I**ntra conspicuam domum Hieronymæ de Auria Spinula Marchionissæ de los Balbases, ac domum Lazari Maricæ de Auria, in Civitate Januen, adebat quedam area seu vacuum sub dominio & possessione Lazari Maricæ, quo volente quoddam ædificium pro ejus domus ampliatione vel commoditate construere, quod notable præjudicium praefatae domui Marchionissæ cauafasset, tam circulum, quam circa aspectum, & prospectum, ac etiam decorum, ipsa se opponente, commissaque per Senatum Januen, causa quibusdam specialiter Delegatis, cum utriusque defensores fuso calamo hinc inde scripsissent; Hinc hujusmodi scriptis ad Urbem transmissis, ex parte dictæ Marchionissæ consultus fui, necum pro causa defensione, sed etiam de proprio iudicio ad veritatem; Cumque ex auctoritatibus hinc inde copiosè cumulatis inspicrem processum esse cum aliquo aquivoco, allegando ad istum casum auctoritates alios satis diversos percutientes; Idecirco ad veritatem crientiam, defuper respondendo, dicebam plures casus in hac materia distinguendos esse, ac successivè distinguendas auctoritates, quarum aliqua unum percutientes, incongrue alteri applicantur, atque ita faciliorem controversię decisionem reddi posse.

Primus igitur casus est, ubi agitur de duobus ædificiis invicem connectentibus, mediante muro laterali utriusque domus tigna ac tecta substantiente, quorum unum eminentiorem altero structuram habeat, unde propterea in parte supereminente dicti muri lateralis, respondentे supra tectum ædificii depressoris, habens alterum magis elevatum, ibi habeat fenestras; Vicinus autem Dominus ædificii depressoris intendat illud altius elevere, atque ita dictas fenestras & lumina obscurare, & de isto casu loquuntur Ias. conf. 98 lib. 1, Honded. conf. 80. lib. 1, Sperell. decif. 54, & 56, Thoma. dec. 119, Rot. apud Duran. decif. 450, que reputatur in hac materia magistralis, atque de eodem casu loquitur statutum Januæ lib. 5, cap. 13, quod in hac parte concordat cum statuto Vrbis 107. & cum altero Mediolani 335, par. 2.